LYSIÆ
CONTRA PHILONEM
ORATIO

LATINE REDDITA ET ADNOTATIONIBUS INSTRUCTA.

DISSERTATIO ACADEMICA,

QUAM

VENIA AMPL. FACULT. PHILOS. UPSAL.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

MAGNUS WILHELM HUSS
PHIL. CAND. NORRL.

IN AUDIT. GUST. MIN. A. D. VI ID. APR.
MDCCCLXVIII.

H. P. M. S.

UPSALIÆ,
TYPIS DESCRIPSIT W. SCHULTZ.
MDCCCLXVIII.

Quae apud antiquas gentes forma erat civitatis, fieri non potuit, quin forensis illa quae vocatur eloquentia laetissime floreret. Quodsi Ciceronem intuens eloquentiam ad altissimum apud Romanos fastigium evectam admiraris, quae gens non tam propria ingenii vi excitata, quam Graecorum exemplis inducta ad artem factitandam accedebat, facile apparet, qui ad originem et quasi fontem dicendi artis penetrare voluerit, animum ad Graecos convertere oportere, qui omnibus rebus speciem quandam pulchritudinis conciliarent. Diu tamen apud eos neglecta jacuit haec ars nec magis quam ulla alia perfecta nascebatur, nam gradus quidam erant percurrendi, antequam in tam sublime fastigium eloquentia perveniret. Quanta vis esset eloquentiae quantumque ad causarum forensium usum valeret, Demosthenes, unicus ille orator princepsque omnium, plane ostendit, nec est cur miremur, ingenti laude omnes aetates eundem tulisse. Sed nescio an orator ille, cui haud dubie palma eloquentiae deferenda est, fulgore quodam claritatis suae tenebras ceteris oratoribus obduxerit, quos permultos eosque in dicendo perfectos Graecia tulit. Qui quum Demostheni, qui sui similem neminem habet, neque viribus neque laude sint pares, digni tamen sunt, qui secundi ab illo numerentur; nec ulla fere de iis obmutescet vetustas, nam dum Graecae vigent literae, laude florebunt. Quorum ex numero quum Lysiam elegerim et oratio-

nem ejus contra Philonem interpretandam susceperim, non alienum videtur paucis verbis attingere, quae ejus sint de arte dicendi merita quidque ad eam conformandam atque perficiendam attulerit.

Ac primum quidem illud constat, veteres Lysiae maximam tribuisse laudem, quod in orationibus mores hominum tam vivis coloribus depingeret (ἠθοποιΐα), ut quasi praesens sisteretur voluntatum studiorumque eorum imago. Intimos humani animi recessus sagace indagans mores, studia et affectus hominum describit et quam maxime studet ostendere, quae fiunt quomodo ex moribus hominum vitaeque conditionibus profisiscantur. Nec umquam veritate rerum neglecta delectationem eorum, qui audiunt, captat, sed nihil pro certo confirmat, nisi quod certis argumentis atque testimoniis probari potest. In rebus narrandis ita est clarus atque perspicuus, ut verisimile videtur, quod memoria proditum est, eum saepenumero narratione sola animos judicum sibi conciliasse et ad suam causam perduxisse. Genus illud dicendi, quod tenue appellatur, amplexus esse videtur. Omnibus verborum ornamentis atque luminibus neglectis, res nudas exponit et elocutionis venustatem cum lepore quodam conjunctam adhibens summum rei cum forma consensum efficit, quo nihil in arte nec majus nec praestantius est. Bene Quintilianus, subtilis ille existimator et gravissimus dicendi magister, "Lysias" inquit, "subtilis est atque elegans; nihil est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti qnam magno flumini propior." Licet eam affectuum vehementiam, id verborum pondus, eam sententiarum gravitatem non habeat, quibus Demosthenes excellit, remissis affectibus et dulcedine quadam animos legentium delectat.

In oratione illa, quam contra Philonem habuit, indolem viri atque ingenium velut speculo repercussum intueri licet. Quae quum ita sint, mirum sane videtur, nonnullos esse, qui hanc orationem Lysiae non esse putent. Spectant argumenta eorum ad verba quaedam similiter desinentia (§ 4, 26) et sententias quasdam verbaque contrarie opposita. Sunt

tamen haec ut mihi quidem videtur, a simplicitate, quae oratoris est propria, non aliena.

Brevis eorum, quae oratione continentur, expositio haec fere est. Philoni quum senatorii muneris candidatum se professus esset, sorte evenit, ut quem optaret exitum studiis ejus contingeret. Priusquam tamen munus ei inire liceret, secundum disciplinam civitatis Atheniensis in senatu habita est quaestio, utrum dignus vir esset an aliqua ratione aditum sibi eripuisset. Qua in probatione ad dicendum surgit orator, accusationem instituit et argumentis iisque non levibus planum atque testatum facit, Philonem indignum esse qui munere senatorio fungatur. Nam republica in maximo discrimine versante, quum exules in Piraeum descenderent, ut potestatem perfringerent eorum, qui triginta tyrranni appellati rerum potiti essent, et patriam e servitute vindicarent, neutri parti se adjunxerat reus, quod quum legibus Solonis ne fieri liceret diligenter sancitum esset, maximae legum negligentiae et animi a republica alienati speciem praebuit. Neque vero alia viri nefarie facta in lucem non prolata sunt. In illo enim perturbationum et molestiarum turbine, dum tota Graecia discordiarum civilium mole tremebat, ex rebus patriae afflictis et adversa civium fortuna occasionem suam petiverat Philo, ut qui ultima crudelitate in senes quosdam saevisset, qui per aetatem ad patriam et se ipsos defendendos inutiles essent. Accedit quod reverentiae, quae parentibus debetur, (cui rei quantam vim tribuerint Athenienses, nemo facile ignorat) adeo oblitus erat, ut etiam in exitu vitae mater ejus plane ostenderet, quantum pietati filii diffideret. Testimoniis allatis, quod objici potest refellit orator et judices implorat, ne hominem talium scelerum convictum in senatum acciperent.

CONTRA PHILONEM

ORATIO.

Numquam, senatores, putavi, Philonem eo usque audaciae processurum fuisse, ut judicio vestro se subjicere auderet. Quum autem non in una solum re, sed in multis audacter ille agat et ego munus senatorium susceperim jurejurando dato me optima quaeque daturum esse reipublicae consilia, quumque jurisjurandi 2 quadam parte obstringar in medium proferre, si quem designatum senatorio ordine indignum noverim, Philonem hunc in judicium vocabo, nullam tamem privatam simultatem persequens neque dicendi coram vobis nec facultate nec consuetudine elatus, sed multitudine delictorum ejus fretus et religionem jurisjurandi a me dati conservare cupiens. Nec vero 3 non intelligetis me ad istum arguendum non tanto apparatu instructum procedere, quanto iste in male agendo usus fuerit. Verumtamen si in accusatione reliquum quid fecero, certe indignus ille est, qui inde utilitatem capiat, sed potius quae argumentis nihil dubii relinquentibus docuerim, repulsam ei contrahere aequum est. Forte enim propter ignorantiam om- 4 nium ejus delictorum parum copiose dixerim, satis tamen quae ejus est improbitas. Sed vestrum qui dicendi facultate plus valent oro, ut delicta ejus ma-

jora esse planum faciant et quae ipse omiserim adhibentes de iis, quae sciant, de integro istum accusent; non enim ex meis solum verbis mores ejus spectare vos oportet.

5 Contendo igitur nullos alios consiliorum vestrorum auctores esse oportere, quam qui praeterquam quod cives sint, cives etiam esse cupiant. Eorum enim maxime interest, utrum bene an secus se habeat respublica, quippe qui necessarium sibi esse intelligant tolerare quemcumque reipublicae fortuna 6 tribuerit casum. Quos vero quum nati sint cives, haec tenet opinio, omnem terram, ubi res ad vitam necessarias satis habeant, patriam esse, eos apparet neglecta summa salute suis ipsorum commodis consulturos esse, quippe qui rem familiarem non civi-7 tatem patriae loco habeant. Ego igitur planum faciam Philonem hunc majorem suae ipsius salutis quam communis reipublicae periculi rationem habuisse et vitam tutam agere melius duxisse quam reipublicae salutem afferre juxta ceteros cives in pe-8 riculo versantem. Quum enim civitati clades illa accidit — quam tantum, quantum res postulat, perstringo — Philo hic una cum ceteris civibus a triginta tyrannis ex urbe abire jussus aliquamdiu rure habitabat; quum autem illi a Phyle in Piraeum descenderent et non solum ex agris, sed etiam ex locis externis partim in urbem, partim in Piraeum concursus factus esset et quantum quisque poterat tantum patriae succurreret, omnino secus hic egit 9 atque omnes ceteri. Rebus enim collectis extra fines Atticae sedem transtulit et tributo Oropi soluto in praesidium patroni inquilinus se contulit; maluit nempe apud eos inquilinus quum nobiscum civis esse. Nec eandem ac nonnulli civium rationem secutus, qui quum exules in rebus agendis prospera fortuna utentes viderent, consilium mutabant, ne secunda-

rum quidem rerum particeps esse cupiit, melius esse existimans rebus prospere peractis accedere, quam opera ad communem utilitatem adhibita una cum ceteris reverti. Nec venit in Piraeum nec alio ullo loco promptum se praebuit. Quamquam qui vos 10 prodere ausus est, quos prospera fortuna utentes videret, quid res nobis secius atque vellem gerentibus facturus fuit? Quicumque domesticis et privatis calamitatibus afflicti periculis, in quibus tunc versabatur civitas, interesse non poterant, digni sunt qui veniam impetrent, — nemo enim sua sponte in afflicta conditione jacet — qui vero consulto aberant 11 nullo modo ignosci oportet; non enim propter calamitatem, sed per fraudem ita se gerebant. Jam vero consensu omnium hominum jus fasque esse censetur, eodem scelere commisso graviore poena afficere eum, cui integrum fuerit non peccare, pauperibus autem et corpore invalidis poenae remissionem dare; inviti enim delinquere existimantur. Iste igitur prorsus 12 est indignus, qui veniam impetret; neque enim ad labores perferendos infirma corporis valetudine utitur, ut et ipsi videtis, neque re familiari ad sumptus faciendos parum idonea ut ego planum ac testatum faciam. Qui igitur quantum prodesse poterat, tantum pravum se praebuit, quo tandem pacto non jure omnium vestrum odio obrueretur? At vero hunc re- 13 probantes odium nullius civis in vos convertetis; non enim alteramutram tantummodo partem, sed utramque eum prodidisse constat, quo efficitur ut haud dubie neque apud eos gratia floreat, qui in urbe remanserunt, neque apud Piraeenses, quibus cum una redire non curavit. Quod et ipse interrogatus confiteretur. Quodsi ulla pars supersit civium, qui eas- 14 dem rationes sint secuti, cum iis demum, si quando, quod deus avertat, reipublicae praeesse coeperint, ut munere senatorio fungatur, postulet.

Eum igitur Oropi praesidio patroni tectum vixisse reique familiaris satis habuisse neque in Piraeo neque in urbe arma cepisse ut me haec primum vere dicere intelligatis, interrogate testes.

Testes.

15 Relinquitur igitur ut dicat se propter valetudinem quandam corporis praesentem in Piraeum ad opem ferendam accurrere non potuisse, privato autem sumptu vel vulgum pecunia sublevandum vel tribulium suorum quosdam armandos suscepisse, exemplum multorum civium secutum, qui praesentes auxi-
16 lium ferre non possent. Ne igitur ei mendaciis vos decipiendi occasio detur, quomodo etiam res istae se habeant, planum faciam, quoniam mihi postea ejus redarguendi causa procedere non licebit. Voca tu mihi Diotimum Acharnensem et qui cum eo ad tribules collata pecunia armandos electi sunt.

Testimonia Diotimi et collegarum.

17 Iste igitur nullam ad rempublicam in tali discrimine et tali rerum statu sublevandam rationem iniit, sed quomodo e fortuna vestra afflicta lucri aliquid perciperet spectavit. Profectus enim Oropo, modo ipse solus, modo aliis comitantibus, qui ex
18 incommodis vestris occasionem suam petebant, agros peragravit et civibus natu maximis obviam factus, qui domi remanserant, rerum ad vitam necessariarum copia quamvis exigua praediti, animo illi quidem in populum benevolo, at per aetatem ad auxilium ferendum parum idonei, eos bonis denudavit, mediocritatem lucri quum incolumitatem eorum pluris aestimans. Qua necessitudine coacti reipublicae illo tempore adesse non poterant, eadem nunc eos im-

pedit, quominus eum in judicium omnes adducant. Attamen vobis cavendum est, ne ex infirmitate eorum duplicem ille percipiat fructum, si quidem bonis eorum primum potitus, deinde a vobis senatorio munere dignus judicetur; verum quisquis injuria tum affectus prodierit, multum illud valere existimetis et quam maximo odio Philonem habeatis, qui bonis eos exuere ausus est, quorum tenuitatem alii misericordia inopiae adhibita opibus suis sublevare malebant. Cita tu mihi testes. 19

Testes.

Equidem non intelligo quid spectantes aliter de illo sentire vos oporteat atque propinqui sentiant. Quorum de moribus viri opinio talis est, ut etiamsi nihil aliud commiserit, propter eam solum jure sit reprobandus. Quae mater vivens ei crimini dabat omittam; ex iis autem, quas moriens iribat rationes, conjecturam facientes voluntatem ejus erga matrem facile introspicere poteritis. Quae quum de fide filii dubitaret, mortuam se ei committere noluit, sed Antiphani, nullo sanguinis vinculo secum conjuncto, confidens ad impensas funeris tolerandas tres argenti minas dedit suo ipsius filio neglecto. Nonne perspicuum est persuasum illam habuisse, filium nulla propinquitatis ratione habita ne justa quidem sibi persoluturum esse? Atqui si mater, quae natura ita est comparata, ut a liberis injuriis quamvis affecta plerumque eas aequo animo recipiat eademque beneficiis quamvis exiguis culta multum se accipere existimet, ut quae res benevolentia magis quam effectu aestimet, si illa, inquam, existimavit filium se vel mortuam spoliaturum esse, quo tandem animo in eundem vos esse oportet? In propinquos talia committit, in alienos qualem se praestabit? Ut autem 20 21 22 23

me haec quoque vere dicere persuasum habeatis, hominem ipsum interrogate, qui pecuniam accepit et mulierem sepelivit.

Testis.

24 Quid igitur spectantes istum dignum judicabitis? Num quod nihil mali commiserit? At maxima in patriam peccavit. An quod melior existat. At bene de civitate primum meritus deinde muneri senatorio inserviat tanti in beneficiis nominis, quanti nunc in maleficiis; nam prudentius facit, qui rebus confectis gratiam pro iis refert. Iniquum enim mihi quidem videtur, eum delictorum jam commissorum numquam poena affectum iri, eorum autem, quae aliquando bene facturus sit, praemium jam consecu-25 turum esse. An ut cives quum omnes pari honore affectos viderint, meliores existant, ideo ille in senatum accipiendus est? At periculum est ne etiam boni, quum malos cives pari secum eodemque honore affectos viderint, honestis studiis operam dare desinant, eorundem existimantes esse et malos ho-26 norare et bonorum oblivisci. Nec quod consideremus indignum hoc est: si quis vel castellum prodidisset, vel navem vel castra, ubi pars quaedam versaretur civium, extrema supplicia subiturus fuit, iste vero, etsi universam civitatem prodidit, a memoria poenae alienatus ad honorem adipiscendum animum componit. Quamquam qui palam ut iste libertatem prodidit, non id contendere oportebat, ut senator fieret, sed ut servitutem summamque inopiam evitaret.

27 Quod dicit, nefas si fuisset in isto discrimine reipublicae deesse, futurum fuisse, ut lex non magis cetera maleficia, quam illud aperte indicaret, vos nescire arbitratur, propter magnitudinem sceleris ni-

hil de hac re lege sancitum esse. Quis enim orator putarat vel legislator exspectaverat fore, ut civium quisquam facinus tale in se admitteret? Quod 28 si ita esset, profecto non legem illam scripturi fuerunt, quae si quis castra reliquisset, quum civitas non ipsa in periculo versaretur, sed aliis periculum inferret, speciem gravissimi facinoris huic rei imponeret, nulla legis mentione facta, si quis civitatem ipsam in periculo versantem deseruisset. Haud dubie de hac re scripta fuisset lex, si quis exspectasset civium quemquam tale quid umquam commissurum esse. Jam quis non jure vos reprehenderet, 29 si inquilinos, quod ultra debitum populo opem tulissent, pro dignitate civitatis honoraretis, istum autem, quod praeter officium prodidisset rempublicam, non puniretis, si non graviore supplicio, saltem ea, qua jam flagrat, infamia. Reputate vobiscum qui- 30 bus causis adducti cives bene de republica meritos honore, malos ignominia afficiatis. Utrumque enim propositum est non magis praeteritorum causa quam futurorum, ut cives dedita opera boni esse studeant, mali nulla ratione esse audeant. Praeterea consi- 31 derate cujus jurisjurandi rationem habiturus esse videatur is, qui re ipsa patrios deos prodiderit, vel quomodo reipublicae utile quid suasurus, qui patriam ne liberare quidem voluerit, vel arcana secum habiturus, qui ne praecepta quidem in medium prolata sequi aequum censuerit. Quid? qui ne ultimus quidem ad pericula venit, quo tandem modo convenit eum honore eoque tali priorem affici, posthabitis iis ipsis, qui in rebus agendis strenui vigebant. Miserum sane esset, si quum iste omnes cives nihili fecisset, vos eum, unum solum, non reprobaretis.

Sed video quosdam, qui quum me delenire non 32 potuerint, ad istum defendendum et vos precibus obsecrandos nunc se comparant; nobis autem in pe-

riculis et acerrimo certamine versantibus et disciplina ipsa civitatis praemium victoriae proposita, quum non solum de dignitate senatoria, sed etiam de libertate consilium capere oportebat, tum istum non obsecrabant, ut et vobis et reipublicae succurreret, nec patriam proderet nec senatum, cui ab aliis recuperato
33 praeter jus fasque nunc adscribi cupit. Solus iste, senatores, repulsus non habet, quod succenseat. Non enim vos eum nunc rejicitis, sed aditum sibi ipse tum eripuit, quum qua alacritate ad sortitionem nunc accessit, eadem armis vobiscum consociatis de senatu restituendo tum decertare noluit.

34 Sed haec hactenus. Quamquam multa praeterii, quum mihi persuasum esset vos nihilominus utilitati reipublicae consulturos esse. Considerantes enim quinam ordine senatorio digni sint, omissis ceteris argumentis hoc solum spectare debetis, quali erga rempublicam animo ipsi digni judicati fueritis. Hujus enim Philonis studia perniciosa produnt exempla et a populari ratione prorsus sunt aliena.

ADNOTATIONES.

(Orationem Graecam videas in editione Rauchensteinii, quam potissimum secuti sumus).

Δοκιμασία, de qua hoc loco agitur, nescio an praesidium libertatis Atheniensium appellari possit [1]). Disciplina enim civitatis ita constituta, ut potestas omnium rerum populi esset omniaquae ejus arbitrio gererentur, fieri non potuit quin, quod est ingenium vulgi, varium illud quidem et rerum novarum cupiens, maxima institutis reipublicae discrimina imminerent, quibus perturbatio rerum atque conversio facile effici posset. Quod ne accideret quum aliis legibus cautum erat, tum ea, qua neminem nec senatorium munus nec omnino magistratum inire licebat, nisi judicio senatus dignus judicatus erat. Quod ut constat, ita negari non potest, ex literarum monumentis, quae exstant, non satis dilucide apparere, num in jure eorum explorando, qui senatores aut magistratus designati essent, una semper atque eadem ratio adhibita fuerit. Hoc tamen pro certo confirmaverim, *ἀνάκρισιν* illam, quam vocabant, quae de iis, qui senatores designati essent, haberetur, haec tria spectasse: primum num cives ortu essent (*γνήσιοι ἐξ ἀμφοῖν*), deinde num infamiae quodam genere notati essent, postremo num aetatem ad magistratum petendum legitimam haberent. Qua in interrogatione quaecumque a parte candidati responsum erat, senator quisque non solum

---

1) *Δοκιμασίαν* Plato etiam civitati illi commendat, quam animo sibi finxit, quum optimum reipublicae statum exquireret.

jure suo occurrere potuit, sed jurejurando obstrictus [1]) etiam erat, ut quem ordine senatorio indignum comperisset, nomen ejus deferret; quin etiam civium quicumque indicia, quae afferet, habebat, accusatoris personam capere licitum erat. Quibus indiciis confirmatis et senatui probatis repulsam tulit candidatus (*ἀποδοκιμάζειν*) nec repulso alia via, qua rem judicatam labefactaret, patuit, nisi provocatio ad judicium, ubi Thesmothetis praesidentibus res dijudicata est. Item iis provocare integrum erat, qui etiamsi senatus secundum petitorem judicaverat, sententiam ejus aegre ferentes jus suum persequi volebant [2]). Nec silentio praetereundum est, qui repulsam tulisset, eundem poena affici, prout res postularent, quibus permoti judices indignum eum duxissent.

Δοκιμασία magistratuum alia erat, alia oratorum. Respublica Atheniensium quum omnibus inspicientibus administraretur, unumquemque civium, quem studium et animi impetus impellebat, vel in senatu vel in foro ad dicendum surgere licitum erat. Nec quantum quisque in dicendo valeret, nec quanta rerum scientia instructus nec quo honoris gradu esset, ratio habita est; hoc unum spectabatur, num *ἐπίτιμος* esset. Quod si quis infamia adspersus in rostra escenderat, actio [3]) (*ἔνδειξις*, *ἐπαγγελία*) in eum intenta est.

§ 1. *βουλή*. Comitiis populum omnes administrationis partes attingere non posse nescio an Solon, cujus tam multa patriae utiliter facta feruntur, viderit quum senatum instituit, qui personam civitatis gerens singula persequeretur. Si rationem respicimus, qua senatus primis illis temporibus compositus sit atque ordinatus, constat eum numerum quadringentorum effecisse civesque infimae tribus honore hujus magistratus exclusos fuisse. Quod ita institutum integrum mansit, donec auctore Cleisthene, accerimo illo libertatis populi vindice, status reipublicae ita commutatus est, ut civitate in

---

1) Insp. § 2. *ἔνεστί τε ἐν τῷ ὅρκῳ ἀποφαίνειν εἴ τίς τινα οἶδε τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν.*

2) Schöuman. Greich. Alterthümer I: pag. 408.

3) Vischer und Schömann. Attische Process. pag. 210.

decem partes (antea quatuor erant) descripta, quas *φυλάς* vocabant, singulae quinquaginta senatores crearent, cujus rei mutationi conjuncta erat alia haec spectans, ut quum senatores antea *χειροτονίᾳ* creati essent, res ad sortem revocaretur (*ἀπὸ κυάμου λαχεῖν*). Quo tempore homines infimae tribus, qui *Θῆτες* appellabantur, in parem juris conditionem, atque ceteri, recepti esse dicuntur. Quantum ad administrationem civitatis senatus iis temporibus valuerit quibusque in rebus potestatem auctoritatemque ejus cernere liceat si quaerimus, primum illud occurrit, senatum publicorum cousiliorum fuisse moderatorem, ut qui de omnibus rebus, priusquam ad populum deferrerentur, consilium iniret[1]). Quamquam saepenumero res, quas alioquin populum confirmare oportebat, arbitrio senatus gerendae committebantur. Nec angustis finibus muneris officia continebantur; in quibusdam administrationis partibus magnus senatui erat campus. Nam res bellicas et militares curare, tributa exigere, vectigalia locare et omnino redituum publicorum administratio senatus erant, quarum rerum, honore anno exacto deposito, ad rationem reddendam vocabantur.

ἕν — *πολλά* — Nonnulli ut verba explicare possint *κατά* intelligendum esse putant. Accusativum autem absolute positum esse docet Kr. Gr. 46: 5, 4 & 9.

βουλευτήριον vulgo legitur. Quamquam non video, cur verum illud oratoris *δικαστήριον* rejiciendum sit. Equidem concedo, verbum *βουλευτήριον*, ut quod et collegium senatorum significet et locum (curiam), ubi sedentes senatores res publicas tractarent, hoc loco fortasse magis aptum esse, sed nonne *δικαστήριον* de senatu dici potest? Quod verbum, a *δικάζειν* dictum, ut significat et collegium judicum et locum, ubi sedentes judices jus dicebant, ita de senatu usurpari potest, cui ut supra dixi, administratio inprimis permissa erat, nonnumquam tamen jurisdictionis potestas. Constat senatui

1) Plutarch. Sol. 19. *τούτους προβουλεύειν ἔταξε τοῦ δήμου καὶ μηδὲν ἐᾶν ἀπροβούλευτον εἰς ἐκκλησίαν εἰσφέρεσθαι.*

licitum esse multas irrogare (*ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν*), quod jus angustis tamen terminis septum tenebatur, quum maxima pecunia, qua multare senatus poterat, quingentas drachmas expleret. Quod si delictum gravius erat, quam quod ea pecunia expiari posset, ad heliasticum judicium vel ad comitia res dijudicanda rejiciebatur. Senatui igitur nomen *δικαστηρίου* jure imponi [1]), quis est, quin videat? Quamquam utcumque legitur, eadem evadit sententia.

§ 2. *βουλεύειν* idem valet atque "senatorem, consilii auctorem esse", *βουλεύεσθαι* consilium inire significat. Insp. Kr. Gr. 52: 8. 7.

ἰδίαν ἐχθρὰν μεταπορευόμενος; Athenis actionum duo genera erant, prout res (*ἔγκλημα*) postulabat, de qua agebatur; alterum, si quis suis ipsius solum rationibus prospiciens, actionem in aliquem intendebat (*δίκη ἰδία*), alterum quum republica violata lege agebatur (*δίκη δημοσία, γραφή*). Quamquam animadvertendum est, Athenienses permulta delicta, quae apud alias gentes privata existimentur, publicorum loco habuisse; veluti furtum delictum publicum erat, quum non magis privatus quidam, quam communis respublica violata esset. Ratio illa forensis qualis fuerit si respicimus, constat, actionum formam diversam fuisse, prout res postularet.

Δίκην ἰδίαν nemo intendere potuit, nisi qui injuria ipse affectus erat et judicio res controversa vel multa ad eum rediit, qui causam obtinuerat. Accedit quod et petitorem et eum, unde petitum erat, impendia litis, sacramentum (*τὰ πρυτανεῖα*) deponere oportebat; qui causam perdidit non solum pecuniam suam amisit, sed adversario etiam jacturam omissae pecuniae restituere coactus erat. Quodsi causa publica erat, unumquemque civium, cujus integra erat existimatio, accusationem comparare et instruere licebat, exceptis illis actionibus, quae ad caedem pertinebant (*δίκαι φονικαί*); poena ad rempublicam rediit nec accusatori res semper impunita fuit, nam nisi suffragiorum quintam partem tulerat vel ante

---

1) Confer Vischer und Schönm. Attische Process pag. 205.

rem judicatam causam deposuerat, multa adjuncto infamiae quodam genere ei imposita est.

§ 3. *ἐλλείποιμι τῷ λόγῳ;* conjicit Marklandus *τοῦ λόγου.* Quodsi emendatione opus est, nonne *ἐν τῷ λόγῳ* potius scribendum?

ὅ,τι ἱκανῶς διδάξαιμι; nonnulli *εἴ τι* scribendum esse putant, quum ineunte accusatione nondum constet, utrum argumenta quid valeant, an exilia sint. Tantum autem abest, ut illa sententia mihi probetur, ut oratorem, quum pro certo haberet, talia se allaturum esse, ut indignus Philo judicaretur, *ὅ,τι* scripsisse credam. Nec verbum *ὅ,τι* singulariter, quamquam ad *τούτων* pertinens, dictum offensionis quid habet; quo nihil usitatius esse docet Kr. 58, 4, 5.

§ 4. *ἀπειρία* utrum hoc loco "ignorantiam" an "immensitatem" significet, pro certo confirmare dubito. Quamcunque vim verbo subjectam volueris, praecendenti verbo *ἐνδεῶς* apta est.

δυνατώτεροι ἐμοῦ εἰσι λόγῳ ἀποφῆναι in plerisque libris legitur nec causam video, cur quid emendandum sit, quum verba, recte explicata, nullam difficultatem afferant. "*Λόγῳ* cohaeret cum *ἀποφῆναι*, non cum *δυνατώτεροι.* Nam si cum hoc cohaerere deberet, non *λόγῳ* conveniret, sed *λέγειν*" Reisk. Mihi quidem persuasum est, *λόγῳ* ad *δυνατῳτεροι* referendum esse nec est cur miremur, oratorem *λόγῳ* non *λέγειν* sripsisse; Graecorum enim loquendi consuetudo vel cum dativo vel cum infinitivo *δυνατός* componit. Nec *ἀποφῆναι*, nullo verbo apposito, dubiae est significationis. Confer § 1 & 3.

§ 5. *Καὶ γάρ* — latine reddidi "ego igitur. Particulae *γάρ* hoc loco illa subjecta est vis, ut significet oratorem praefatione finita rem propositam tractare coepisse. At enim rarissime, si modo umquam, particulae *γάρ* haec inest vis. Fateor nec ignoro hanc significationem particulae *οὖν* propriam esse, sed nihil ante est dictum, quo referri postest *γάρ.* Quo magis adducor, ut ante haec verba quid elapsum esse credam.

ἐπιθυμοῦντας τούτου; quo *τούτου* referendum sit ignari interpretes, ut verba explicare possint, alii ad alias rationes confugiunt. Conjicit Marklandus: *ἐπιθυμοῦντας τοῦ ἴσου*, "aequalitatis cupidos, non solum ferentes, sed cupientes etiam aequo jure esse cum reliquis civibus," quae interpretatio praeterquam quod non opus est, arcessitum etiam aliquid habet. Ut mihi quidem videtur, sententia plana est atque evidens; *τούτου* est *τοῦ πολίτας εἶναι*, qua interpretatione nulla est nec simplicior nec rectior.

ὥσπερ καί, insp. Kr. 69, 32, 13.

§ 6. Quae in nonnullis libris leguntur verba *καί γάρ*, ut quae a sententia abhorrerent, rejeci, plerisque auctoribus *ὅσοι δέ* recipiens, quibus verbis haec sententia priori (*τούτους μέν κτέ*) contraria opponitur.

§ 8. *ἡ συμφορά* spectat ad cladem illum, quam Laecedaemonii apud aegos flumen duce Lysandro Atheniensibus intulerunt; quo facto forma civitatis Atheniensis ita mutata est, ut triginta viri rerum potirentur. Qui quum creati essent, ut disciplinam civitatis constituerent, omni potestate populo detracta crudeliter se gerendo meritum tyrannorum nomen adepti sunt. In altissimum fastigium evecta est superbia eorum, quum Theramene interfecto maxima crudelitate in homines alterius factionis saevire coeperunt, qui causis modo cognitis modo incognitis partim supplicio capitis affecti sunt, partim ejecti (*ἐκκεκηρυγμένοι*), alius ex urbe, alius ex civitate. Nec diu mansit rerum illa perturbatio; collecta manu Thrasybulus Phylen, castellum Atticae, occupat, et adjunctis qui exilii causa solum verterant, in Piraeum descendit, tyrannos expellit et in multas quamvis difficultates incurrens civitati intestinis discordiis divulsae pacem tandem affert.

§ 9. *ἐνθένδε*, non *ἐνθάδε* legendum puto, ut quod cum Graecorum loquendi consuetudine maxime congruat. Oratorem ita scripsisse et ordo verborum probare videtur.

Ὠρωπός oppidum erat inter Atticum et Boeotiam medium.

μετοίκιον κατατιθεὶς ἐπὶ προστάτου ᾤκει; μετοίκιον tributum erat, quod pendebant ii, qui barbari illi ipsi ant

advenae in civitate quadam Graeciae sedem collocaverant. Athenis, quae civitas maxima in eos liberalitate utebatur, magna hominum confluxit multitudo, qui licet civitate numquam donarentur, saepenumero in parem juris libertatisque conditionem atque ceteri recepti sunt. Tributum tamen solvere debebant et praesidio patroni se conferre, qui quum clienti nullas res ad judicem deferre liceret, caussas ejus defendendas susciperet. Quae legis jussa si neglexerant *οἱ μετοίκοι*, actio in eos intenta est (*γραφὴ ἀπροστασίου*, *μετοικίου ἀπαγωγή*), et noxii judicati sub corona vendebantur. Bene de republica meritis et tributum remittebatur et praesidii patroni vacatio dabatur (*ἰσοτέλεια*).

κατεργασάμενος vulgo legitur, sed nescio an *κατεργασόμενος*, praecedenti *κατειργασμένοις* oppositum meliorem sententiam afferat. Maluit rebus jam confectis accedere, quam eo tempore reverti, quum quid reliquum esset, quod operam ejus atque auxilium desideraret.

ὅπου — *παρέσχε* — "ubi sui collocandi copiam vobis dedit." *παρασχεῖν*, quod Scheibe commendat, nonne rejiciendum est?

§ 10. *ὡς μὴ βουλόμεθα* idem valet atque *εἰ κακῶς ἐπράττομεν*, quare *μή*, non *οὐ* scripsit orator, quum verborum lenitate tristitiam rei mitigat. Markl. *ἐβουλόμεθα* scribere vult; inutilis sane emendatio! Proverbii prope locum verba obtinent, unde temp. praes.

§ 11. *τῶν ἀδικημάτων* genetivus ille est, quem relationis vocant. Eum iis potissimum verbis adjungi, quae permotionem quandam animi atque affectum significent, docet Kr. 47. 21. Nec est cur exemplum multorum sequentes *ἕνεκα* vel *ὄντων* intelligendum esse existimemus.

§ 12. *λειτουργεῖν* (*λέϊτον* (*λαός*) = *δημόσιον*, *ἔργον*) civitati prodesse. Vera atque propria significatio hoc loco verbo inest nec spectat ad impensas, quas ditissimum quemque Athenis ad solennia quaedam magno apparatu summaque caeremonia celebranda praestare oportebat.

§ 13. *ἀλλὰ μήν* insp. Kr. 69, 39, 1.

φῇ δὲ καὶ ταῦτα καὶ ἀντὸς γενόμενος in plerisque cod. legitur. Quae verba quum difficultatem magnam afferant, ad rem obscuram explanandam interpretes alii alias rationes ineunt, unde magna illa nata est librorum varietas. Verisimile videtur quod interpres quidam callidissime conjicit, legentium quendam margini libri sui adscripsisse *φησὶ δὲ ταῦτα καὶ ἀντὸς παραγενόμενος* vel *φησὶ δὲ κἀνταῦθα καὶ ἀντὸς γενόμενος:* "dicit haec Lysias, (quem bello patriae liberandae causa interfuisse constat) ut qui ipse adfuerit", quae verba quomodo postea in orationem irrepserint non difficile est ad intelligendum. Quam Scheibe commendat lectionem; *φαίη δ'ἂν ταῦτα καὶ αὐτὸς ἐλεγχόμενος*, accepi, quae conjectura, si non probabilis, ceteris certe par est.

§ 14. *λαμβάνειν τὴν πόλιν* videtur significare curam reipublicae suscipere, nisi de occupatione per vim haec intelligere mavis. (Markl.)

ἔθετο τὰ ὅπλα idem valet atque "constitit in ordine", "descendit ad arma".

§ 15. *εἰσενεγκεῖν — ὁπλίσαι;* — Expectas fortasse, dum dicat orator *εἰσήνεγκεν — ὥπλισε*, sed altera verborum conformatio cum altera pemixta aures Graecorum loquendi usu assuetas nihil offendit et hoc loco, ubi paulo agitatior est actio, justam excusationem habet. Insp. Kr. 55: 4: 10.

τῶν ἑαυτοῦ δημοτῶν, qui eidem civitatis parti adscripti erant. Descriptione illa civitatis, qualis primis temporibus erat, abolita, ut potestatem optimatum perfringeret, Cleisthenes aliam instituit haec spectantem, ut quum antea universa civitas in quatuor *φυλάς* et singulae *φυλαί* in ternas partes (*φράτραι*) distributae essent, republica in decem regiones (*φυλαί*) descripta, singulae denas partes (*δῆμοι*) haberet. Bello exorto quantum singuli illi *δῆμοι* qui vocabantur militum mitterent, lege constitutum erat nec raro evenit, ut in copiis armandis atque instruendis cives re familiari abundantes eos, qui attritis facultatibus erant, pecunia sublevarent. Insp. orationem Lysiae pro Mantitheo § 14.

§ 16. Diotimus ille aut magister δήμου fuit aut princeps illius collegii, cui mandata tum fuit cura municipales armis instruendi. (Reisk.)

§ 17. ὅπως — ὠφελήσει; — saepissime futuro adjungitur ὅπως, praecedentis verbis, qui curam quandam atque studium significant. ὠφέλησε, quod Cobeto placet, nonne rejiciendum est?

§ 18. ἐπεξελθεῖν αὐτόν; Reiskius, quem accusativus offendit, αὐτῷ commendat et nescio an illi assentior. Quum enim verbo ἐπεξλθεῖν accusandi quaedam inest vis, saepissime dat. personae et gen. vel acc. rei recipit; quamquam non desunt exempla, quibus accus. pers. usurpari confirmetur.

§ 20. ἱκανόν = ἄξιον. Inaudita sane atque ab usu remota significatio! Attamen causam non video, cur tollendum sit et δικαιον scribendum. Confer quae supra (§ 2) leguntur: ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν, quae verba haud dubie idem valent atque "senatorio munere indignum". Similitudinem secutus novitatem rei mirari desinas.

τεκμαίρεσθαι, "conjecturam facere" jungitur cum ἐξ,ἀπό vel dat.

§ 21. Scriptoris verba emendandi studio ducti nonnulli προσήκοντι proponunt, quam emendationem omnino non necessariam esse neminem fallit.

ἆρα = nonne. At enim quum qui interrogat affirmationem postulet, ἆρ'οὐ scribendum est. Fateor, sed nescio an ἆρα idem declaret, quod latine ne illud encliticum, quae particula, sive affirmationem, sive negationem expectas, usurpari potest. Confidenter et ex animi sententia loquitur orator, unde ἆρα = nonne. Insp. Kr. Gr. 69, 9.

ἂν ποιήσοντα. Quos partic. ἄν part. fut. adjuncta offendit, fut. in aor. mutare voluerunt. Num ἄν part. fut. adjungatur, jam pridem inter doctos est disceptatio, quae quum sine exitu fuerit, permultis exemplis, quibus haec loquendi consuetudo confirmetur, ductus fut. retinendum esse puto. Pl. Apol. 30,b ὡς ἐμοῦ οὐκ ἂν ποιήσοντος ἄλλα. Insp. Xen. Mem. II: 2, 3. et annotationem Saupp. huic loco additam.

§ 22. *μικρὰ ὠφελουμένη*. Quae in nonnullis libris leguntur verba *μηδ' ὠφελουμένη* prorsus rejicienda sunt, nam quid tum sibi vult verbum illud *γιγνόμενα*? Haud dubie sententia haec est: "beneficiis quamvis parvis affecta multum se accipere mater existimat"; ad *μικρά* spectat *γιγνόμενα*, quod verbum, *μηδέ* si legimus, quo tum referendum est? *μέγαλα* praeterea *μικρά* oppositum postulare videtur.

εὐνοίᾳ — *ἐλέγχῳ*, — "Quale et quantum sit illud, quo donetur, nulla ratione habita, animum benevolum tantummodo respicit".

§ 24. *ἀλλ' ὡς*. Saepissime *ἀλλά* usurpatur quum quae ab altera parte objici potest, ante occupat orator et refellit. Insp. Kr. Gr. 69, 4, 4.

§ 26. *ἀλλ' ὅπως τιμήσεται* auctore Rauchenst. scribendum esse existimo et rationi assentior, quam ut illa, quae hoc loco plurima sunt, depravata verba emendaret, iniit idem interpres.

§ 28. *οὐ γὰρ ἂν κτέ.* Utrum *ἄν* tollamus necne, ad verba recte interpretanda nihil valet. *εἰ ἤλπισεν* intelligendum est.

§ 29. *οὐ κατὰ τὸ προσῆκον* = *καίτοι οὐ προσῆκον αὐτοῖς* "tametsi haec partes eorum non essent" Reisk. Valde dubito, num accipienda sit interpretatio, qua quis facile adduci possit, ut credat, eorum, qui *μετοίκοι* appellabantur, non fuisse partem belli capessere. Longe aliter res se habet, nam non solum pecunias ad impendia belli toleranda imperatas pendere debebant, sed etiam terra marique praesentes stipendia facere. In eandem incurrimus difficultatem, si sententiam ejusdem interpretis secuti *κατὰ τό* tollimus. *οὐ κατὰ τὸ προσῆκον* idem valet atque *ὑπὲρ τοῦ προσήκοντος;* majus quam debebant auxilium tulerant. Concedendum quidem est insolitum aliquid verba habere et libenter iis adsentior, qui *κατὰ τὸ προσῆκον* scribendum esse putant, quo facto nulla errori occasio datur.

τῇ παρούσῃ ἀτιμίᾳ; quid vox illa *παρούσῃ* sibi velit videamus. Sententia judicum nondum dicta quum parum con-

stet, utrum dignus Philo judicandus sit necne, facile apparet verbum illud non posse significare infamiam, qua repulsus haud dubie afficiendus sit. Spectat *ἡ παρούσῃ ἀτιμία* ad infamiam, quam sibi contraxerat reus eo tempore, quo reipublicae in periculis versanti auxilium ferre non curavit. Athenis non solum is infamis ducebatur, qui judicio infamia notatus erat, sed etiam qui officium in rempublicam detrectabat; velut qui pecuniam civitati debebat, infamis erat, donec debitum persolverat. Militiam ille detraxerat nec alterutri parti se adjunxerat, quibus rebus jam pridem affectus est infamia [1]), quam ut senatores judicio confirmarent orator flagitat.

§ 31. Interrogat orator judices num verisimile sit, eum secreta senatus consilia non enunciaturum esse, qui jussa legis atque imperata palam facta adeo contempserit, ut et patriam in maximo discrimine versantem proderet et nefaria scelera in se admitteret.

§ 32. *ἡ πολιτεία*, disciplina ipsa civitatis; agebatur enim hoc bello, utrum genus reipublicae populare vigeret necne.

§ 33. *κληρωσόμενος*. Ut studiis obstaret eorum, qui ambitu clandestina consilia struerent, Cleisthenes sortitionem instituit, nec unumquemque civium non licitum erat profiteri se candidatum, nisi scelere commisso jus amisisset.

§ 34. *δεινὰ παραδείγματα;* vulgo legitur *κοινά*, exempla quae ad omnes spectant, vel *καινά*, nova atque inaudita. Licet auctore Rauchensteinio *δεινά* receperim, verum illud oratoris verbum non rejiciendum esse existimo.

---

1) Plut. Sol. 20. — *νόμος, ὁ κελεύων ἄτιμον εἶναι τὸν ἐν στάσει μηδετέρας μερίδος γενόμενον.*